

**BREVE INEDITUM SIXTI Pp. V  
DE REFORMATIONE (1589)**

Inter plurima decreta S. Sedis lata ad promovendam et ad effectum perducendam in Regnis Hispaniarum reformationem Regularium a Concilio Tridentino iniunctam speciali mentione dignae sunt Litterae Apostolicae Sixti V datae in forma Brevis die 15 Aprilis 1589 ob quasdam earumdem notas singulares.

Prima et praecipua est eius universalitas erga subiectum passivum. Visitationi apostolicae reformatrici subiciuntur omnes Ordines. Nullus excipitur, nec Societas Jesu nec recenter reformati.

Altera est qualitas Visitatorum. Erunt utique Episcopi residentiales hispani, at non omnes, sed tres a Summo Pontifice inter eos libere electi utpote magis idonei ad negotium rite gerendum.

Tertia demum singularitas constituitur a limitationibus adsignatis competentiae Visitatorum.

Papa intendit in casu et benevolentiam Philippi secundi captare quatenus eiusdem manifestis votis atque crebris supplicationibus annuit, tum in subiendo reformationi universos regulares, tum in committendo reformationem non visitatoribus religiosis, quibus minus fidebat Rex Catholicus, sed Episcopis residentialibus hispanis; et viam paecludere opportunis cautionibusabus olim in initio pontificatus Pii V ortis ob nimiam ingerentiam Regis et Ministrorum eius in hoc negotio reformationis regularium, essentialiter ecclesiastico, quatenus ipse libere elit inter Episcopos residentiales Visitatores sibi bene visos, et sibi reservat causarum graviorum definitionem atque ordinationum et statutorum a Visitatoribus latorum adprobationem.

Testimonium Secretarii ad calcem minutae consignatum probat sine dubio et tenax auctoris Brevis propositum illud exequendi, et spem optimos fructus exinde colligendi.

Et quidem Breve istud, vel potius Brevia ista, quia licet unius eiusdemque tenoris, Brevia fuerunt tria numero, certo expedita fuerunt, ut praedictus Secretarius Brevium expresse et authentice testatur. Nihilominus non videntur unquam executioni mandata fuisse.

Historia Ordinis nostri reformati prorsus ea ignorat, et idem videntur facere historiae aliorum Ordinum, atque etiam omnes historiae ecclesiasticae.

Neque videntur unquam fuisse in publicum edita. Neque in Bullariis generalibus Ecclesiae neque in particularibus cuiusque Ordinis religiosi, neque in aliis collectionibus monumentorum historicorum constat edita fuisse.

Causa huiusmodi eventus videtur duplex: 1º Reluctantia certa Regis Catholici et probabilis Visitatorum ipsorum ad praestandam suam co-operationem in casu. 2º Mors auctoris Brevium. Sixtus V mortuus est die 27 augusti anni 1590 antequam, ut videtur, executores suum mandatum exercere incoeperint. Quo facto mandatum eorum eo ipso cessavit, nec videtur a sucessore Sixti V confirmatum nec renovatum fuisse.

*Ephemerides Carmelitiae* exhibent suis lectoribus has primitias editionis documenti historici ita rari.

Textum transumimus ex Minuta originali quae continetur in *Arch. Secr. Vatic.*, *Epistolae ad Princeps*, Vol. 22, ff. 181-182 in statu materialiter optimo.

HIPPOLYTUS A S. FAMILIA, O. C. D.

### TEXTUS BREVIS

« Pr.m - Venerabili fr.i Petro ep.o Calagurritano <sup>1</sup>

« 2m Didaco ep.o Pacensi <sup>2</sup>

« 3m Joanni ep.o Illerdensi <sup>3</sup>

« Sixtus Papa Vs

Venerabilis f.r salutem &c. — Cum nos regimini universalis ecclesiae summa Dei benignitate pracsidentes, totis viribus deceat, ut pristinus ille ecclesiasticae disciplinae candor, qui (non sine animi nostri moerore accepimus), in Hispaniarum Regnis in dies labefactari atque obscurari paulatim videtur, opportunis et salutaribus remediis ita fulciatur et illustretur, ut omnibus qui in domo Dei sunt fulgeat et lucescat,<sup>4</sup> quod summopere gratum et acceptum Char.mo in Christo filio nr.o Prilippo Hispaniarum Regi catholico futurum esse non

<sup>1</sup> Hic et in sequentibus nota *HC* designatur G. VAN GULIK, C. EUBEL et L. SCHMITZ-KALLENBERG, *Hierarchia Catholica Medii et Recentioris Aevi*, III<sup>2</sup>, Monasterii 1923 (semel IV = ed. P. GAUCHAT. Monasterii 1935). Nomina personarum et locorum forma vulgari pro meliori intelligentia tradentur. Episcopus in Calahorra erat Pedro Portocarrero 1589-1594 (*HC* 145), translatus ad Córdoba 1594-1597 (*HC* 178), dein ad Cuenca 1597-1600 (*HC* 174). Notanda omnino, quoad nostrum breve, notitia in schedis Garampi servata, in *HC* 145 not. 14 sic relata: « Sch. Ind. 483: 1589. SS. Petro ep. mandat ut visitet ecclesias et monasteria Castillae et Toleti ».

<sup>2</sup> Diego Gómez (de la Madriz) O.SS.Tr., ep. in Lima (Perú) 1577-1578 (*HC* 225), translatus ad Badajoz (*HC* 266) 1578-1602 (*HC* IV 269).

<sup>3</sup> Juan Martínez (de Villatoriel) ep. in Lérida 1586-1591 (*HC* 212).

<sup>4</sup> Cf. Mt. 5, 15.

ignoramus, praesertim cum ad huiusmodi opus peragendum talium virorum delectus haberi debeat, qui non solum eximiam in colendo Deo pietatem, sed etiam in administrandis negotiis diligentiam, peritiam et experientiam praeseferant. Idcirco fraternitati tuae, de cuius fide, prudentia, et in rebus agendis dexteritate, praesertim in huiusmodi munere obeundo solertia plurimum in Domino confidimus, *per te ipsum auctorite n.ra, Praemonstraten., Cistercien., S.ti Benedicti, S.ti Bernardi, gloriosissimae Virginis Mariae de Monte Carmello, Carthusien., Pr.um Praedicatorum, et Fr.um Minorum de observantia et Conventualium, S.ti Augustini, Fr.um heremitarum, S.ti Hieronimi, Redemptionis Captivorum de Mercede, S.mae Trinitatis, S.ti Francisci de Paula, Societatis Jesu et quorumcumque alia Monasteria, Collegia, Congregationes, et alia pia loca ecclesiastica, tam virorum quam mulierum, saecularia et quorumvis ordinum regularia, qui buscumque illa nominibus nuncupentur, in Castellae Provinciis et Toleti Regno<sup>5</sup> cum illis adiacentibus existentia, visitandi, inquirendi, per omnia iuris et facti remedia corrigendi, et iuxta regularia statuta puniendi, ita tamen quod causae graviores ad hanc Sanctam Sedem per te transferantur, ordinationesque et statuta per nos vel pro tempore Romanos Pontifices successores nostros approbanda, edendi, necnon Abbates, Piores, Guardianos, Praepositos, Abbatissas, Priorissas, Conventus, fratres et singulas quasvis personas dictorum Monasteriorum, Collegiorum, Congregationum, societatum et aliorum locorum praedictorum, ad debitum et honestum vitae modum debitamque clausuram, modis omnibus necessariis et opportunis reducendi et compellendi, ac quicquid per te statutum et ordinatum fuerit, etiam sub excommunicationis aliisque censuris, et poenis, etiam privationis dignitatum, graduum, honorum, et officiorum per eos obtentorum, inhabilitatisque ad illa et alia quaecumque in posterum obtainenda, tuo arbitrio imponendis, perpetuo observari faciendi, omnibusque et singulis cuiuscumque status, gradus, ordinis vel conditionis fuerint, saecularibus et quorumvis ordinum regularibus, etiam exemptis, ac nobis et Sedi Apostolicae mediate vel immediate subiectis, necnon laicis, et aliis quibusvis, quacumque auctoritate, potestate vel dignitate fulgentibus, ne directe vel indirecte, per se vel submissas personas, verbo vel scriptis, aut alias quomodolibet praemissa turbent, aut illarum executionem quovis modo, aut conficto colore, etiam iuvando religionis, seu pietatis studio, aut alio praetextu, publice vel occulte quoquo modo impedian, sub excommunicationis*

---

<sup>5</sup> In margine adnotantur variationes reliquis duobus brevibus inserendae:  
« 2um in Beticae et Extremadurae Provinciis. 3um in Coronae Aragonum Provinciis ».

latae sententiae eo ipso incurrenda, a qua a nemine, nisi a nobis vel Rom. Pont. pro tempore existente absolutionis beneficium (praeterquam in mortis articulo) obtinere queant, aliisque etiam pecuniariis et corporis afflictivis poenis auctoritate praedicta interdicendi, et inhibendi, et contra non parentes poenas et censuras ipsas etiam iteratis vicibus declarandi et aggravandi, interdictum ecclesiasticum apponendi, auxiliumque brachii saecularis invocandi, ceteraque in praemissionis et circa ea necessaria, et quomodolibet opportuna faciendi, decernendi, et per subdelegatas personas, si ita oportuerit exequendi plenam apostolica auctoritate, tenore praesentium, potestatem et facultatem concedimus, et impartimur. Et ne tantum opus, et illius exequatio aut mortis, vel infirmitatis, sea alia quavis legitima causa aliquod impedimentum patiatur, eveniente tibi aliquo tali impedimento, *tantum in tui subsidium et ipsius operis iuvamen*, et perfectionem, auctoritatem eandem et facultatem praemissa omnia faciendi tibi desuper concessam, illam etiam Ven.li fr.i Ferdinando ep.o Palentinensi<sup>6</sup> concedimus. Non obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum &c. die XV Aprilis M. D. LXXXIX,  
Anno quarto ».

« S.mus Dn.s N.r mandavit, absque alicuius participatione, sup.tum breve expediri, et iuxta illius tenorem mandavit similiter expediri alia duo brevia, unum Didaco ep.o Pacen. in Provinciis Beticae et Extremadurae cum simili substitutione Francisci ep.i Corduben., aliud vero Joanni ep.o Illerdensi in Corona Aragonum Regnis pari substitutione Martini ep.i Oscen.

Hier. Car.lis Rusti. ».<sup>7</sup>

« S.mus Dn.s N.r iterum nomine proprio mihi imposuit ut sup.ta tria brevia, prout supra scriptum est, secrete et absque participatione alicuius iuxta formam praesentis minutae mihi ab Ill.mo Car.le Rusticuccio traditam expedirem.

M. Vestrius Barbianus ».<sup>8</sup>

<sup>6</sup> In margine adsunt variationes iuxta not. 5: « 2m Fran.co Ep.o Corduben. 3m Martino ep.o Oscen. ». Fernando Miguel de Prado, ep. in Palencia 1587-1594 (HC 267). Francisco Pacheco, ep. in Málaga 1574-1587 (HC 233), translatus ad Córdoba 1587-1590 (HC 178). Martín Caucer ep. in Huesca 1584-1593 (HC 264).

<sup>7</sup> Hieronymus Rusticucci, secretarius apostolicus, card. a Pio V creatus 6/3 1566, tit. S. Susanna 1570-1597, ep. Portuensis 1597, + 14/6 1603 (HC 44<sup>b</sup> n. 14, 71<sup>a</sup>).

<sup>8</sup> Marcellus Vestri filius Octaviani comitis Cunii et Barbiani, secretarius litterarum apostolicarum a Sixto V ad Paulum V, fuit secretarius brevium, etiam ad principes: G. MORONI, *Dizionario di Erudizione Storico-Ecclesiastica, Indici generali VI*, Venezia 1879, 487<sup>b</sup>.

« Die 16 Maii expedivi duplicata supradictorum trium brevium,  
ita mihi mandante eodem S.mo D. N°, prout etiam mihi imposuit prae-  
fatus Ill.mus Car.lis Rusticucius de ordine eiusdem S.mi per chiro-  
graphum eiusdem Ill.mi manu subscriptum.

M. Vestrius Barbianus ».

Ibidem f. 183r. — *L. originale del detto chirographo.*

« Monsig.re Vestrio. — V. S. farà un duplicato dei tre Brevi, li  
quali di ordine di N. S.re spedì il mese passato alli Vesc.i di Calagor-  
ra, Badajoz, et Lerida sopra la visita di Spagna, che così ha ordinato  
S. S.tà. Et N. S.re conceda a V. S. ogni vero contento.

Di Casa questo dì 16 Maggio 1589.

Il Car.le Rust. ».<sup>9</sup>

---

<sup>9</sup> Legatur « Rusticucci ».